

perii translatione dissensio : Nam in libro de translatione imperii c. 5. pag. 89. habentur hæc verba : Hic quoque ut ubique alibi, Pontificiorum parasitarum mendacia grassantur. Dicunt enim quod imperante Othone III, Gregorius V, Germanus, male a Romanis tractatus, suaque sede pulsus, decretum tulerit quod septem Germani principes, loco Romani populi, senatusque, imperatores in perpetuam posteritatem eligere deberent. Quod eorum figmentum mox evidenter, Deo dante, redarguemus. At in historia Ecclesiastica cent. 10. c. 10. col. 346. habentur hæc alia ejusdem Illyrici verba, quæ pugnent necne cum præcedentibus, vel ipse Illyricus iudex esto : Gregorius undecimo sui exilii mense, pristinae dignitati per Imperatorem restitutus, suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus, sanxit, ut penes solos Germanos eligendi regem esset jus ac potestas, qui post diadema a Romano Pontifice acceptum, imperator et augustus appellaretur. Suntque electores constituti, Moguntinus, Coloniensis, et Trevirensis archiepiscopi, comes Palatinus Rheni, Saxonix, dux, marchio Brandeburgensis, et rex Bohemiae, qui paribus suffragiis electorum existentibus, litem inter eos dirimat. Ne autem liber de translatione imperii solum cum aliis ejusdem Illyrici libris, et non etiam ipse secum pugnare videatur, annotemus adhuc unam vel alteram contradictionem.

X. — In ipso igitur lib. de translatione imperii cap. 1. pag. 5. sic Illyricus loquitur : « Dei solius est iste titulus : Mea sunt omnia, ego do ea cui volo ; ego transfero regna, ac monarchias de gente in gentem pro meo arbitrio. Horrenda ergo blasphemia est, quod Antichristus, sicut in aliis omnibus se Deo exæquavit, immo et supra eum extulit, ita in hoc quoque gloriatur : suum esse transferre imperia ac regna ad quemcumque velit ; seque transtulisse Imperium a Græcis ad Francos, et porro a Francis ad Germanos ». Hæc ibi. At infra cap. 2. pag. 21. non vult solius Dei esse transferre imperia, sed etiam hominum. Siquidem docet non semel translatum fuisse imperium a Græcis ad Germanos : « Romani, inquit, aut potius Constantinopolitani imperatores sæpius jus Occidentalis imperii Germanis tradiderunt ». Et mox pag. 22 : « Prima igitur, inquit, translatio facta est sub Leone Bessicano, Constantinopolitano imperatore, circa annum 460. in Othacarum, aut Odoacrem ».

Et infra ponit secundam translationem factam a Zenone imperatore in Theodoricum ; tertiam ab Anastasio in Clodovæum ; et quartam ab Irene in Carolum. Sed si horrenda blasphemia est, quod Papa asserat, se transtulisse imperium in Germanos, quia transferre imperia soli Deo convenit, quomodo non est horrenda blasphemia, quod Illyricus asserit, a Leone Bessicano, vel ejus militibus, translatum imperium in Odoacrem, a Zenone in Theodoricum, ab Anastasio in Clodovæum, ab Irene in Carolum ?

XI. — Et si Antichristus est, et Deo se exæquat, vel super ipsum extollit, qui audet regna transferre, quod soli Deo est proprium, certe Antichristi fuerunt Leonis milites, necnon Zeno, Anastasius, et Irene imperatores, qui re ipsa (ut Illyricus dicit) imperium transtulerunt, ac Dei potestatem usurparunt. Papa vero non modo non est Antichristus, sed etiam Antichristo omnino contrarius, cum non solum imperium non transtulerit, nec Deo se æquaverit, sed etiam (ut idem Illyricus scribit pagin. 12.) se ut servum ac mancipium imperatori subjecerit. Nonne igitur Illyricus manifeste secum pugnat, cum passim in hoc suo libro Papam Antichristum vocat, et quidem extollentem se supra ipsum Deum et tamen in eodem libro tam humilem facit eundem Papam, ut se mancipium, et juratum servum imperatoris, esse fateatur ?

XII. — Rursum in eodem libro cap. 1. pag. 12 : « Ipsa, inquit Illyricus, vox translationis eos evidentissime mendacii redarguit : nam si transtulerunt Papæ imperium a Græcis ad Francos, sequitur Græcos esse plane privatos imperiali dignitate ». Hæc ibi. Sed paulo post pag. 22. et sequentibus numerat Illyricus quatuor translationes factas a Græcis ad Germanos, manente nihilominus etiam Græcis imperiali dignitate : quia videlicet non totum imperium, sed altera pars dumtaxat, quæ Occidentale imperium dicitur, translatum fuit. Aut igitur ipsa vox translationis Illyricum arguit evidentissime mendacii, cum ait pag. 22. translatum imperium a Græcis in Germanos a militibus, Zenone, Anastasio, et Irene, aut falsum est quod scripsit pag. 12. nam utrumque simul nulla ratione defendi potest.

XIII. — Sed insignis contradictio, et contumeliosa in Romanum imperium habetur ad finem epistolæ dedicatiorie : ubi sic Illyricus de se ipse loquitur : « Testor (inquit) me ab

omnibus sectis, erroribusque a Romano imperio, et Augustana Confessione damnatis abhorreere ». Hæc enim verba manifestam implicant contradictionem, nisi Romanum imperium Augustanæ Confessionis patronum, vel sectatorem Illyricus faciat. Quod certe facere non poterit, nisi cum manifesta ratione pugnare velit : constat enim Confessionem Augustanæ solum ex Romano imperio adhæsisse ac subscripsisse electorem unum, principes sex, et civitates liberas duas ; eandem vero Confessionem in eodem Augustano conventu publice reprobata, ac damnata ab ipso Romanorum imperatore Carolo ejus nominis quinto, ab electoribus quinque a principibus imperii partim ecclesiasticis, partim sæcularibus septem supra centum, ac deum a liberis imperialibus civitatibus novem et triginta ; tot enim fuisse Catholicos principes, et status imperii, qui in damnationem Confessionis subscripserunt, et subscriptionem sigillis suis munierunt, testis est Joannes Cochleus, qui in eo conventu præsens interfuit, in actis Lutheri anni 1530 et 1531. Cum igitur Romanus imperator cum longe majore parte principum, et statuum imperialium, Augustanam Confessionem damnaverit, merito ea ab imperio Romano damnata existimanda est. Nam si imperator, ut caput imperii, imperium universum repræsentat, quanto magis et certius conventus principum et statuum ferme omnium una cum ipso Cæsare imperium universum repræsentabit ? Quocirca merito Philippus Melancthon in epist. ad Joannem Obernburgerum ita scribit : Non delector recordatione comitiorum Augustanorum, in quibus tristi ac atroci sententia damnati sumus. Eligat jam Illyricus utrum voluerit : aut sequitur imperii Romani sententiam, et mentitur cum ait, se adherere Confessionem Augustanæ : aut sequitur Confessionem Augustanam, et mentitur cum ait, se abhorreere ab erroribus ab imperio Romano damnatis. Utrumque certe simul verum esse nullo modo potest.

CAPUT II.

Continet mendacia Illyrici.

Veniamus nunc ad alteram partem prolegomenorum, id est, ad mendacia quibus undique scatet Illyrici libellus.

Ac primum ipsam epistolam, qua librum suum dedicat imperatori Maximiliano, om-

nibusque imperii principibus, totam fere mendacii texuit, ut mirum sit eum tam impudenter tantis viris imponere voluisse.

I. — Non procul ab initio scribit politici Magistratus gloriam et dignitatem per Lutheri doctrinam esse illustratam, et contra seductores et oppressores ornatam, et vindicatam. Hoc (inquit) tempore instaurati Evangelii non uno modo gloria, dignitasque politici Magistratus est verbo Deillustrata, et contra seductores, ejusque oppressores speciose ornata, et vindicata ; quantumvis illi contrarium fingant. At quam hoc sit verum, testantur in primis libri ipsius Lutheri, quibus ita principes omnes in contemptum et invidiam adduxit, ut nihil aliud meditari videretur, quam principatum omnem de medio tollere. Sic enim loquitur in lib. de potestate sæculari, principes mundani sunt, mundus autem inimicus est Deo : idcirco, et ipsos quoque facere oportet, quod Deo contrarium, mundo autem consentaneum sit, ut scilicet non fiant infames, sed principes mundani permaneant. Ne mireris igitur si contra Evangelium furunt, et fatue agunt. Oportet ipsos titulo, nominique suo satisfacere, et scire debes quod ab initio mundi admodum rara avis est princeps prudens adhuc multo rarior princeps probus. Sunt communiter maximi fatui, aut pessimi nebulones super terram. Quapropter semper pessima quæque ab ipsis exspectanda sunt, et parum boni sperandum est, præsertim in rebus divinis, quæ ad salutem animarum pertinent. Ipsi enim sunt lictores, et carnifices Dei, quibus, utitur ira divina etc., et infra : Si princeps prosperatur, ut sit prudens, probus aut Christianus, hoc e magnis miraculis unum est, pretiosissimum signum divinæ gratiæ super eam provinciam. Nam juxta communem cursum evenit secundum illud Isaïæ III. Dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis, et Oseæ XIII. Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea, et infra : Admodum pauci sunt principes, qui non habeantur profatis aut nebulonibus. Causa hujus est, quia et tales sese demonstrant, et populus communis fit intelligens, et principum plaga, quam Deus contemptus vocat, potenter progreditur in plebe, et communi populo, et vereor ne prohiberi non possit, nisi principes agant ut principes decet, et incipiant rursus cum ratione et modestia gubernare ; non ferunt, non possunt, nec volunt vestram

tyrannidem petulantiamque diu perferre. Boni principes et domini, secundum hoc agere sciat; Deus non vult diutius permittere. Non amplius nunc mundus est ut olim, quando homines sicut feras venabamini etc. Item in lib. quem inscripsit, Duo cæsarea mandata discordantia, et contraria etc., prope finem: Oro (inquit) omnes pios Christianos, dignentur simul precari Deum pro ejusmodi miseris et execratis principibus, quibus nos Deus triulavit in magna procul dubio ira, ne sequamur eos ad proficiscendum, aut ad contribuendum contra Turcas: quando quidem, Turca decies prudentior, et probior est principibus nostris. Et infra: De his conqueror ex imo corde, cunctis probis Christianis, ut mecum commiserentur super ejusmodi stolidos, fatuos, insanos, furiosos, et amentes moriones, et in fine: Deus (inquit) nos ab ipsis liberet, aliosque nobis ex gratia det regentes. Amen. Ita nimirum novit Lutherus principes ornare, atque ad obedientiam et reverentiam magistratus populos adducere. Sed ne solum unum testem habeamus, quamvis omni exceptione majorem, Illyriciani mendacii; proferamus et alterum testem omni fide dignissimum. Imperator Carolus V, in edicto Wormatiensi, quod imperii principibus universis consentientibus edidit anno 1521. inter cætera de Luthero sic ait: Obedientiam (inquit) et regimen omne prorsus tollit, unde populi ad defectionem et rebellionem a suis tam spiritualibus quam temporalibus dominis faciendam, ad rapinas, cædes, incendia, cum magno et manifesto Christianæ reipublicæ discrimine provocentur. Quinimo, cum vitam quamdam solutam, licentiosam, atque ab omni lege explicitam, et vere ferinam inducere conentur, ita exlex homo leges ipsas omnes damnat et contemnit, ut decreta sanctorum Patrum et sacros canones publico igni comburere non formidaverit: facturus pejora civili juri, si non magis sæculi gladium, quam Pontificis excommunicationes et censuras metuisset. Hæc Imperator. Quare si non mentitur Illyricus, mentitur Cæsar cum universo Romano imperio. Utrum autem verissimilius sit, Augustum Cæsarem cum tot illustrissimis principibus, an unum Illyricum esse mentitum, nemo est qui non videat. Sed quid si addamus et tertium testem, qui jam non verbis, sed rebus ipsis et factis clamet? Unde enim, quæso, prodit ingens illa rebellio rusticorum adversus principes anno 1525. ob quam bre-

vissimo tempore in una Franconia 292. nobilium arces eversæ sunt, et supra-centum milia rusticorum cæsa, nisi ex doctrina Lutheri? Quid aliud principes Protestantes anno 1546. in ipsum suum imperatorem Carolum V armavit, nisi doctrina Lutheri? Cur tot annos Gallæ universæ in motu fuerunt, nisi ob doctrinam Lutheri? Quis tot rebelles populos regibus Francorum et Hispanorum fecit, nisi posteras Lutheri? Quis denique Anabaptistas, qui palam magistratum omnem de medio tollunt in Germania peperit, nisi Lutherus? Et audet tamen Illyricus scribere, per Lutheri evangelium defendi, atque ornari contra seductores Papiastas politicos magistratus.

Eadem pagina scribit Illyricus in hunc modum: «Cum antea præstantes viri, in politica gubernatione existentes, falsa doctrina persuaderentur, se in quodam profano, carnali, Deoque parum grato vitæ genere versari, ac prope modum de salute sua desperare cogentur: eoque non raro, deserta sua divinitus mandata statione, publicoque bono, sese in latibula, ignavumque otium monasteriorum abderent. Nunc contra ex verbo Dei certo sciunt nihil suo vitæ genere si modo recte, ac in fide Filii Dei observatur, vel Deo gratius vel etiam hominum generi utilius esse». Hæc ille, qui una brevi sententia quatuor mendacia comprehendit.

II. — Primum enim nullus unquam probatus auctor in Catholica nostra Ecclesia docuit, genus vitæ eorum, qui extra monasteria vivunt, parum Deo gratum esse, aut ejusmodi, ut qui in eo versantur, de salute desperare cogantur, quin potius in hæreticorum numero ponimus eos, qui talia docent. Nam et S. Augustinus lib. de hæresibus c. 40. et S. Thomas, qui Lutheranorum judicio supra modum papista fuit, in 2. 2. quæst. 66. artic. 2. scribunt, hæreticos esse illos, qui docent non habere spem salutis eos qui ducunt uxores, et res proprias possident, et denique non eo modo vivant, quo ii, qui dicuntur in Ecclesia monachi. Nec solum privatos homines, sed etiam principes, et magistratus, atque adeo etiam milites, si Christiane vivant, Deo gratos esse, et spem salutis habere passim Catholici docent, ac præsertim S. Augustinus epist. 5. ad Marcellinum, et epist. 70. ad Bonifacium, et S. Thomas in libris de Regimine principum. Denique Magister Sententiarum, et cum eo Theologi scholastici omnes lib. iv. dist. 26,

et 33. apertissime docent, statum matrimonii bonum, licitum, sanctum ac Deo gratum esse. Itaque eos qui in politica gubernatione versantur, in parum Deo grato vitæ genere versari, ut pene desperare de salute cogantur, non doctrina Ecclesiæ, sed mendacium Illyrici existimandum est.

III. — Deinde quod Illyricus addit, eos qui a politica administratione ad monasteria se conferunt, deserere divinitus sibi mandatam stationem, impudens quoque mendacium est: nam ubi (quæso) Deus mandavit, ut qui in politica gubernatione versantur, in ea perseverent usque ad mortem? Qui magistratu funguntur, si rationibus suis consulere judicent, abdicare se magistratu; quo verbo Dei prohibentur id facere? Quis ante Illyricum reprehendit, aut non potius vehementer laudavit sanctissimos viros Basilium, Nazianzenam, Chrysostomum, Martinum, Paulinum, Augustinum, Gregorium, qui aut militia, aut foro, aut academia, aut senatu, aut prætura sæculari relicta, Deo soli servire in monasteriis maluerunt? Laudant Germani historici Lotharium imperatorem, et Rachim Longobardorum regem, quod in monasteriis potius, quam in palatiis mori voluerint. Carolomanum, qui relicto principatu Francisco, monachatum elegit, divino succensus amore fuisse scribit abbas Uspersgensis. De quo etiam, ac de Rachim multa præclara scribit Leo Hostiensis in historia Casinensi. De Coenredo rege Merciorum in Britannia ita scribit Beda lib. v. hist. gentis suæ cap. 20. Coenredus, qui regno Merciorum nobilissime tempore aliquanto præfuerat, nobilium multo sceptrum regni reliquit: nam venit Romam, ibique attonsus, Pontificatum habente Constantino, ac monachus factus est, ad Limina Apostolorum in precibus, jejuniis, et elemosynis usque ad diem permansit ultimum, et infra: Venit autem cum illo et filius Sigheri regis Orientalium Saxonum, vocabulo Offa, juvenis amantissimæ ætatis, et venustatis, totique suæ genti ad tenendaservandaque regni sceptrum exoptatissimus; qui pari ductus devotione mentis, reliquit uxorem, agros, cognatos, et patriam propter Christum, et propter Evangelium, ut in hac vita centuplum acciperet, et in sæculo venturo vitam æternam, et ipse ergo, ubi ad loca sancta Romam pervenerunt, attonsus, et in monachico vitam habitu complens, ad visionem beatorum Apostolorum in cælis diu deside-

ratam pervenit. Albertus Krantzius lib. viii. Saxonie cap. 7. posteaquam scripserat insignem conversionem Adolphi comitis Holstatie, qui propter Christum ex opulentissimo et potentissimo principe pauperrimus monachus factus est, ita subjunxit: Hic tum erat fervor in divinam religionem apud nobilitatem, et infra: Hæc est mutatio dexterae excelsi. Quis enim alius ex tam glorioso milite sæculi faceret tam humilem peditem Christi?

IV. — Et quoniam Illyrico ignavum otium appellare placuit vitam, quam post relictum sæculum præclari isti heroes duxerunt, addamus pauca quædam de isto ipso Adolpho ex eodem libro Krantzii, ut videamus quam delicato otio in Christi militia Adolphus frueretur. Monasterium (inquit Krantzii) sui Ordinis ipse manibus multa molitus in oppido Kiil, ubi nunc requiescit, curavit erigere, elemosynas suorum quondam subditorum humiliter poscens et accipiens: cumque multam sollicitè laboraret in erectione dieti monasterii in oppido Kiil, ibat ostiatim lac in hydriam mendicans, ut haberent operarii, et fratres, quo inter laborandum per æstum reficerentur. Media jam platea, ubi declinare iter non poterat, ibat hydriam bajulans lacte plenam: et cum obvios habuisset filios sublimes in equis, Comitum more sæcularium, passus est humanitus aliquid, ut rubore cœperit perfundi. Sed ille infremuit, et robur mentis advocans, cum adhuc in conspectu essent filii, hydriam levatam super caput evertit, sese totum a vertice lacte perfundens, dixitque: Infelix erubuisti Christi pauperiem, bajulare lac in manibus: nunc vel in capite ostende quid portaveris. Quis non jure miretur tantam humilitatem, patientiam, fortitudinem? Hæc Albertus. Porro his non dissimilia de Carolomanno refert Leo Hostiensis in historia monasterii Casinensis.

V. — Sed veniamus ad postremum illud, crassissimumque mendacium, quod Illyricus effudit, cum ait: «Nunc contra ex verbo Dei certo sciunt nihil suo vitæ genere, si modo recte, ac in fide Filii Dei observatur, vel Deo gratius, vel etiam hominum generi utilius esse». Et ubi, quæso, est hoc verbum Dei? Cur testimonium nullum profertur? Nam si nihil Deo gratius est, quam ut homines vitæ hujus negotiis, politicæque administrationi se dedant, mentitur igitur Christus, cum ait adolescenti diviti: Si vis perfectus esse, va-

de, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni, sequere me. Matth. XIX. et cum Mariæ contemplationem Marthæ actioni apertissime anteposuit dicens: Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima, porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. x. in quæ verba. S. August. serm. 27. de verbis Domini: Non tu malam, inquit, sed ista meliorem elegit. Et de loco superiore disputans idem Augustinus in epist. 89. Qui illius, inquit, perfectionis de vendendis rebus suis consilium tam grande, tamque præclarum non receperunt, et tamen a damnabilibus immunes criminibus esurientem Christum paverunt, non sedebunt quidem cum Christo sublimiter iudicaturi, sed ad ipsius dexteram stabunt misericorditer iudicandi. Sed quoniam de his rebus non est hic locus fusius disputandi, adjiciam solum testimonium Eusebii, quo simul et Catholicæ Ecclesiæ sententia explicatur, et quatuor prædicta Illyrici mendacia refelluntur. Sic igitur loquitur Eusebius lib. 1. Demonstrat. Evangel. cap. 8. Cæterum ille quidem (Moyses) in tabulis inanimatis; hic autem Christus, in mentibus vita præditis perfecta novi Testamenti documenta descripsit. Et infra, explicans hæc documenta: Duo, inquit, in Ecclesia Dei vivendi modi instituti sunt; alter quidem naturam nostram, et communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens: totus autem prorsus a communi et consueta cunctorum hominum vita abhorrens, et soli divino cultui ex immenso rerum cœlestium amore addictus. Qui hunc modum amplexi sunt, quasi ab hac mortali vita sejuncti, ipsumque dumtaxat corpus in terra gerentes, cogitatione vero atque animo in ipso cælo degentes, quasi quidam cœlites, reliquorum hominum vitam despiciunt: quippe qui pro universo genere supremo omnium Deo sacrati sint: idque non boum mactationibus, non eruoribus, non libationibus, aut nidore ullo, neque fumo, aut ignis devoratione, consumptioneve corporum, sed rectis vere pietatis sententiis, et purgati animi affectione. Ad hæc operibus quoque et verbis, quæ a virtute proficiscuntur, quibus rebus divinitatem ipsam placantes suum, et pro se ipsis, et pro aliis, qui ejusdem sint generis, administrant sacerdotium, et talis quidem existit in Chri-

stianismo perfectus vitæ modus. Alter vero remissior, atque humanior: hic et modesto conjugio, et sobolis procuratione implicatur. et rei familiaris curam assumit, et justè militantibus quæ sint agenda describit: agros quoque, et mercaturam, aliumque magis civilem vivendi morem adjuncta religione non negligit, et his quidem secundus pietatis attributus est gradus, dum aptam huic ipsi generi vitæ præbet utilitatem, ut nullus plane ab adventu salutari separetur, sed omne genus hominum tam Barbarorum, quam Græcorum evangelicæ doctrinæ fructum percipiat. Hæc Eusebius.

VI. — Pergit Illyricus in sequenti pagina, atque ait: « Sic etiam cum antea pedibus seductorum fœdissime proculcantur, nunc se verbo Dei super omnem animam exaltatos esse cernunt, lætanturque de quo ingenti Dei beneficio merito profecto omnes magistratus illi maximas gratias agere deberent ». Non unum, sed duo mendacia his paucis verbis comprehendere mihi videntur. Primum enim nec verbis, nec factis apud non magistratus et principes proculcantur; nisi proculcationem fortasse voces, quod aperte docemus, non licere principibus diripere templa, monasteria spoliare, et bona Ecclesiarum quasi in prædam invadere. Deinde quis unquam fœdus ac petulantius pedibus proculcavit principes omnes ac magistratus quam Lutherus? Quis enim catholicorum unquam ausus est principes appellare catholicorum unquam ausus est Principes appellare pessimos nebulones, lictores, carnifices, fatuos, stolidos, insanos, furiosos, amentes, moriones, et ipso Turca decies stultiores, et peiores, ut non semel eos appellavit Lutherus?

VII. — Alterum horribilius est mendacium: siquidem in ipsum Dei verbum mentitur Illyricus, cum ait: Verbo Dei exaltatos esse Principes politicos super omnem animam; nec enim Paulus ait: omnis anima potestatibus politicis subdita sit: sed: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quocirca antequam principes politicos exaltare incipias super omnem animam, ac proinde super ipsum etiam Summum Pontificem (de hoc enim potissima quæstio est) demonstrandum tibi erit, sublimiorem esse potestatem magistratus politici, quam ecclesiastici. Id enim si facere non potueris, non verbo Dei, sed adulatione, et mendacio tuo exaltabis principes politicos super omnem animam. At quando, quæso, demonstrabis

nobis politicum magistratum ecclesiastico sublimiorem? Num sanctus Apostolus non aperte omnes fideles, ne magistratu quidem excepto, Episcopis subjecit, cum ait: Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri? Nonne S. Greg. Nazanzienus in oratione ad cives, timore percultos, et Præsidentem irascentem, hoc modo alloquitur præsidem? An me libere loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque potestati meæ, meisque subselliis lex Christi subjicit: Imperium enim ipsi quoque gerimus, addo etiam præstantius, ac perfectius: nisi vero æquum est, spiritum carni faeces submittere, et cœlestia terrenis cedere. Sanctus quoque Ambrosius in oratione de tradendis basilicis: Nonne, ait, bonus imperator intra Ecclesiam est, non supra Ecclesiam? et S. Joannes Chrysostomus hom. 4. in cap. vi. Isaiæ: Major, inquit, hic principatus, propterea rex caput submitlit manui sacerdotis. Denique (ut plurima præmittam) S. Bernardus in epistol. 183. ad Conradum imperatorem: Legi, inquit, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; quam sententiam cupio vos custodire in exhibenda reverentia Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab universo servari imperio.

Sed audiamus quid paulo inferius in eadem præfatione Illyricus dicat: « Deus (inquit) dici severissime mandat, constare jam ferme toti orbi terrarum, numquam a quoquam fœdus et diutius vexatum, oppressumque esse sacrosanctum imperium, ejus monarcham et gloriosissimos ordines, ac status, et denique sedem eorum, amplissimam nempe, et vetustissimam gentem Germanorum, quam a Romano Pontifice, ut omnes historiæ una voce copiosissime narrant ». In his verbis triplex mendacium inest.

VIII. — Ac primum quidem omnino mirabile, et inopinabile, atque ut Græci dicunt, παράδοξον est, quod Illyricus dicit, Deum severissime mandare, ut dicatur imperium Romanum, a Romano Pontifice vexatum, et oppressum fuisse. Ubi enim est hoc Dei mandatum? In quo propheta, in quo evangelista, in quo apostolo hæc legisti? Nisi forte Lutherum non solum Eliam tertium, ut adhuc fecistis, sed etiam Deum alterum faciatis. Satis enim constat, Lutherum severissime mandasse, ut quidquid mali fingi potest, in Romanum Pontificem dicatur.

TOM. VI.

IX. — Alterum est mendacium, Germaniam a nullo unquam fœdus oppressam, quam a Romano Pontifice: cum contra constet, a nullo unquam plura beneficia Germaniam accepisse, quam a Romano Pontifice. Nam Dei agnitionem, quo beneficio nullum est majus, per sanctos Episcopos, Maternum, Chilianum, et Bonifacium diversis temporibus a Sede Romana missos, Germanos primum accepisse, ne Illyricus quidem negare potest; quippe qui disertis verbis id scripsit centur. 4. lib. II. cap. 10. col. 624. et Cent. 7. cap. 2. col. 31. et cent. 8. c. 2. col. 2. Porro hoc unum beneficium quot alia beneficia consecuta sint, facile perspiciet qui historias legerit. Videbit enim, Germaniam, quæ ante id tempus in summa barbarie degebat, quæque nec urbes habebat, nec litteras noverat, neque ullum civilem cultum ferre posse videbatur, paulatim suscepta fide ad eum cultum et splendorem venisse, ut jam nulli provinciæ cedat. Vide Senecam in lib. de gubernatione mundi c. 4. Strabonem lib. VII. de situ Orbis; Cornelium Tacitum de situ et moribus Germanorum, C. Cæsarem lib. VI. de bello Gallico. Deinde imperium ipsum, quo uno maxime Germania gloriatur, et electorum principum dignitatem, qua imperium solidissime in Germania confirmatum est, negat quidem Illyricus a Romana sede ad Germaniam devenisse: sed id agnoscunt, et gratissime confitentur ipsi principes Germani; exstant enim litteræ publicæ, sive publicum instrumentum principum Germanorum ad Nicolaum Pontificem ejus nominis tertium, quarum litterarum hoc est initium: « Complectens ab olim sibi Romana mater Ecclesiæ quadam quasi germana charitate Germaniam illam, eo terreno dignitatis nominæ decoravit, quod est super omne nomen temporaliter tantum præsidentium super terram; plantans in ea principes, tanquam arbores prælectas et rigans illas gratia singulari: illud ei dedit incrementum mirandæ potentiæ, ut ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, velat germen electum per ipsorum electionem, illum qui fræna Romani teneret Imperii, germinarent.

X. — Mendacium tertium, et quidem impudentissimum, illud est, quod omnes historiæ una voce copiosissime narrent, a nullo unquam fœdus vexatam et oppressam Germaniam, Cæsarem, principes, atque ordines imperii, quam a Romano pontifice. Nam si